
 SECTIO XXXIX.

 DE
 CONCEPTIONE
 ET
 GRAVIDITATE.

§. 559.

Iam ad ea accedimus, quorum causa vtriusque sexus genitalia, de quibus hactenus egimus, machinata sunt: conceptionem nempe, et generis humani propagationem; in quorum disquisitione ita versabimur, ut prius nuda enarremus phaenomena in admirabili eo et vere diuino negotio observanda; tum vero vires indagemus quibus ipsa ea phaenomena tribuenda videbuntur.

§. 560.

Atque primo notari meretur generi humano non ut longe plurimis reliquorum animantium (et quidem mammalibus ni
 Ee fallor

fallor praeter hominem ad vnum omnibus) peculiare statutum esse anni tempus, quo in venerem ruant *a)*, sed quamvis tempestatem perinde aptam esse ad excitandos ipsi amorum igniculos.

§. 561.

Quando ergo femina admisit virum *b)* et vterque eorum eo animali instinctu calent quo non alter siue vniuersitate siue vehementia par extat, vterus ni grauiter fallimur, inflammatorio quodammodo organismo turgens *c)*, vita sua propria (§. 547.) ani-

a) Nisi huc referre velis quod, primum in Suecia obseruante WARGENTINO, plurimi partus in m. Septembrem incidere soleant, qui praecedenti responderet Decembri. v. *Svensk. Vetensk. acad. Handlingar.* a. 1767. Vol. XXVIII. p. 249 sq.

b) De variis quae huius admissionis rationem attinent, disputavi libro *de generis hum. varietate* pag. 17 sq. ed. 3.

c) cf. bina RUYSCHIO visa exempla vterorum mulierum post recentem impraegnationem dissectorum.

Alterum nempe *aduersarior. anat. medico-chirurg.* Dec. I. tab. II. fig. 3. meretricis a iuvene Batium

animatus haurit quasi semen a viro eui-
bratum *d*); et proprium contra fundere
videtur (§. 552.); tubae autem simul obri-
gescunt et fimbrias suas vicinis ouariis ap-
plicant; ex quorum alterutro vna ex ve-
siculis Graafianis fere vt abscessus ma-
turus funditur, et albuminosa quam con-
tinebat gutta ab ostio tubae abdominali
forbta in ipsum vteri cauum deriuatur.

§. 562.

Elapfa autem hacce ouarii gutta, vul-
nufculi labia externa cicatrice clauduntur,
remanens vero cui ipfa inhaeferat, mem-

E e 2 branula

statim post venereum cum ipfa complexum, tru-
cidatae.

Alterum *thesauro anat.* VI. p. 23 sq. tab. V.
fig. 1. mulieris paucis horis grauidae et in adul-
terio a marito occifae.

- d) Impetum confideranti, quo semen virile eiaculatur,
et ab vtero deglutitur quasi, quamque perexigua
eius quantitas (monftrantibus experimentis in
animalibus captis) ad foecundandum fufficiat, fa-
cile erit ea intelligere, quae de feminis paffim
referuntur, quas integro hymene concepiffe legi-
mus et vulgo ad demonftrandam nescio quam
auram feminalem adhibentur.

branula vasculosa abit in *corpus luteum e*), ab initio itidem cauum et plastica vt mihi quidem videtur lymphæ plenum, quæ temporis progressu in carnosum vertitur nucleum *f*), crasso cortice, vasorum sanguineorum insignibus ramulis pertexto, cinctum *g*).

§. 563.

Vtero nunc imprægnato, canalis, cervicem eius perforans, maxime versus orificium

- e*) cf. Jo. CHPH. KUHLEMANNI *observ. circa negot. generationis in ouibus factæ*. Gotting. 1753. 4. c. f. æt.
f) v. GUL. HUNTER *anat. vteri gravidæ* tab. XV. fig. 5. tab. XXIX. fig. 3. tab. XXXI. fig. 3.
g) Celebris est, et tam in physiologia quam in medicina forensi magni sane momenti quaestio, toties a nuperis agitata, anne corpus luteum nonnisi foecundum sequatur coitum, ideoque semper genuinae tantum conceptionis testis sit, numue quoque citra venereum congressum oriri, adeoque etiam in puellis quæ nondum virum passæ fuerint, reperiri possit? — Composuisse me eam litteram ad naturæ veritatem et conditiones declarasse sub quibus et in virginibus reuera quandoque oriri possit, confido; *specimine physiologiae comparatae inter animantia calidi sanguinis vivipara et ovipara; in commentat. soc. reg. scientiar. Gottingens.* vol. IX. pag. 109 sqq.

ficium superius f. internum (§. 544.) arcte clauditur, ita vt secundum naturam nullus superfoetationi locus supersit. Ceterum vix vlla haecenus dantur signa constantia et fallere nescia, quibus ipsa mulier de his quae ipsi dum concipit intus contingunt, satis certa esse possit.

§. 564.

Interna vero vteri superficies inflammatoria quasi plasticae lymphae crusta obduci videtur (§. 15.), quae in *caducam* f. *deciduum* Hunteri *h*) abit: cuiusque binas laminas destinguunt; alteram nempe

Ee 3 quam

h) Primus de origine huius membranae (cuius quidem curatiorem notitiam GUL. HUNTERO debemus) recte praecepisse videtur ARETAEUS Cappadox *de caus. et sign. morbor. diuturn.* L. II. c. 11. p. 64 sq. ed. BOERH.

Post restaurationem autem anatomes eandem restituit FALLOPIUS *observ. anat.* p. 207.

Est Chorion siue nude sic dictum, siue spongiosum, tomentosum, fungosum, filamentosum, reticulatum sequentis aevi auctorum. *Involucrum membranaceum* B. S. ALBINI &c.

Primum quantum noui eius iconem exhibuit RUYSCHIUS *thes. anat.* V. tab. I. fig. 1. F. B. C. G.

quam *crassam* vocant, ipsum vteri cauum, exceptis ostiis tubarum et ceruicis interno, inuestientem *i*): alteram quae serius, postquam nempe ouulum formari et in ipsa decidua radices agere cepit, exinde super ipsam oui reliquam superficiem continuatur (— *Tab. IV. fig. 1. a. — fig. 2. —*), ideoque *caducae reflexae* nomine venire solet *k*).

§. 565.

Ipsum vero *ouulum* prius quidem generatur quam embryo, cui recipiendo infervitur, ita tamen vt vix ante finem alterius post conceptionem hebdomadis formatio eius inchoët *l*). Ante hunc terminum enim

i) GUL. HUNTER l. c. tab. XXXIV. fig. 3-6.

k) cf. B. S. ALBINI *annotat. acad. L. I.* tab. III. fig. 1. e.
GUL. HUNTER l. c. tab. XXXIII. fig. 1-4.

l) Quod *Tab. IV.* exhibui ouulum, ex pluribus ideo selegi, quod tenellae suae aetati eximiam pulcritudinem, et intemeratam integritatem innotam habet. Ob lagenae autem cylindricae liquoris plenae amplitudinem cui suspensum inhaeret, icon ceteroquin curatissima maius adhuc obiectum exhibuit

enim vnquam formati conceptus humani vestigia vere obseruata fuisse, valdopere dubito.

§. 566.

Constat autem hocce ouulum, praeter extimum illud inuolucrum aduentitium, quod ipsi a *caduca* ista Hunteri accesserat, binis membranis propriis.

Ee 4

Exte-

hibuit quam reuera est, vbi amnii vesicula vix pisum maius magnitudine aequat.

Feminae est athletici habitus, tertium grauidae, cui postquam prima vice intermiserant catamenia, fortuito et repentino abortu excidit: adeoque ad primum grauiditatis mensem referendum videtur.

Recentissimum mihi allatum suspenso aperui manu, et chorion crystallina sua aquula, amnion autem liquore sui nominis plenum inueni. Ceterum autem neque funiculi neque embryonis minimum adhuc vestigium; siue quod formationis eius terminum nondum attigerit ouum, siue quod in vniuersum sterile fuerit s. subuentaneum. Adfuisse enim iam foetulum et maceratione tantum resolutum disparuisse, cruda ouuli integritas et amnii interior superficies vndique glabra credere vetant.

Exteriore altera, sanguiferis ut videtur vasis destituta, quae *Chorion m*) est nuperorum (— *Tab. IV. fig. 1. c*—); cuiusque extrema superficies ab initio magnam partem nodosis flocculis ineffabilis elegantiae est oblecta (— *fig. 1. b* — *fig. 2. —*) quare et *chorion muscosum* s. *frondosum* appellarunt. Iisdemque flocculis, qui partis foetalis futurae *placentae* rudimenta sunt, tanquam radicibus suis, ouulum inseritur deciduae uterinae (§. 564.).

Altera membrana eaque interior *amnion* est (— *fig. 1. d*—), itidem sanguineorum vaporum expers (§. 5.), tenera quidem, memorabilis tamen tenacitatis.

§. 567.

Binae hae ouuli membranae propriae primis ab inchoata oui formatione septimanis

m) *Membrana media* ROUHAULTI, HALLERI &c.

cf. in vniuersum de variis oui tunicarum synonymis et homonymis HALLERI *elem. physiolog.* Vol. VIII. P. I. p. 194 sq.

et TABARRANI ep. ad Bartalonum in *Atti di Siena* T. VI. p. 224 sq.

manis amplitudine sua magnopere ab invicem differunt; ita vt chorion maiorem exhibeat vesicam, cui amnion tanquam longe minor vesicula ei saltem locò intus adhaeret, qui circ. centro floccosae chorii superficiei extimae respondet.

Reliquum vero interstitium, quod tunc adhuc chorion atque amnion intercedit, crystallina repletur aquula, quam *chorii liquorem* vocare licet, dubiae ceterum originis et brevis aevi.

Cum enim amnion celeriora capiat incrementa quam chorion, huicque iam primis post conceptionem mensibus appropinquetur ⁿ⁾ eodem gradu crystallinum huncce liquorem absorberi necesse est.

§. 568.

Intima vero ista oui membrana inde a prima sua formatione (§. 565.) ad ipsum vsque instantis partus terminum *liquore amnii* plena est, latice sc. aquoso, coloris

Ee 5 sub-

ⁿ⁾ v. HUNTERI figuras (imaginarias quidem) l. c. tab. XXXIV. fig. 9. 8. 7.

subflavescentis, odoris fere nullius, saporis blandi vix subfalsi, quem vulgo alibilem putant et albumini comparant, a quo tamen mirum quantum abhorrere curatior eius indago facile docet o).

Fontes eius adhuc dubii, certe neque ad foetum neque ad vmbilicalem funem referendi, cum et subuentaneis insit ouulis quae neutrum istorum continent.

Copia eius inuerfa ratione ad foetus molem se habet. Eo maior nempe quo tenerior adhuc embryo & v. v.

Atque exinde vsum huius liquoris primum hariolari licebit, qui magis ad tuendum tenelli embryonis gelatinosum quasi, et iniuriarum externarum maxime impatiens, corpusculum, quam ad eius nutritionem inferuire videtur. Eam enim liquoris amnii portiunculam quae quandoque (sed adeo raro vt vel exinde praeter naturae ordinem id contigisse censendum

o) STEPH. JO. VAN GEHNS *de natura et utilitate liquoris amnii*. Ultraj. 1793. 4.

dum sit) foetus ventriculum intrasse visa est, neutiquam nutritioni eius destinatum esse facile patebit tum indolem huius liquoris, tum habitum systematis chyliiferi foetuum consideranti; vt vere acephalorum exempla p), aliaque id generis argumenta sicco praeteream pede.

§. 569.

Ipse vero embryo, qui ab vmbilicali fune vt fructus a petiolo suspensus huic liquori innatat, a tertia circ. inde post conceptionem septimana formari incipit q);
et

- p) Vulgatas contra de foetibus narrationes qui vmbilicalibus plane caruisse vasis dicuntur, neminem obiecturum spero, qui vel obiter istis historiis criticam faciem attulit.
- q) Fictitia enim MAURICAEI, KERCKRINGII aliorumque commenta et icunculas foetuum vnus aut paucorum dierum hodiernum refutare non amplius opus est.

Rationes vero quibus in termino quem dixi constituendo vsus sum, pluribus exposui in *medicin. Bibliothek* vol. II. pag. 673 sq.

Et quam egregie eundem postmodum experientia teste confirmatum viderim, ibidem retuli vol. III. pag. 727.

et primo quidem simplicissima paruae fabae f. reniculi subglobosa forma apparet, cui sensim extremitatum rudimenta succrescunt, facies vltterius efformatur & f. p. r).

§. 570.

Ex ordine naturae mulier *unipara* est et singulum tantum foetum concipit. Non raro tamen gemellos gerit, quorum ratio ad solitarios partus ex Süßmilchii calculis est vt 1 : 70 r). Tuncque plerumque

- r) Adeant quibus non ipsa eiusmodi humanae speciei fragilia primordia ad manus sunt, icones curatas in RUYSCHII *thesaur. anatom.* VI. tab. II. fig. 2. 3. 4. 5. 8. 10. *thesaur.* X. tab. III. fig. 1.

it. B. S. ALBINI *annotat. acad.* I. I. tab. V. fig. 4. 5.

TREW in *commenc. litter. Norico* a. 1739. tab. III. fig. 4. 5.

AER. VATERI *musf. anatom. propr.* tab. VIII. fig. 2. 4. &c.

- s) Verum vt in vniuersum haec ratio non adeo constans dicenda est, ita et gentilitia varietas eandem intercedere videtur.

Raritatem gemellorum apud Grönlandos expresse notat EGGEDE in *descr. du Grönland* p. 112.

Memorabilis e contrario frequentia eorum apud Chilenfes, teste MOLINA in *Saggio su la storia naturale del Chili* p. 333.

que cuius gemello proprium est amnion, vtrique vero commune chorion *t*).

§. 571.

Medium vero cuius ope mutuum embryonem inter et matrem alitur commercium, vmbilici est funiculus et, in quam distribuitur, placenta.

§. 572.

Et *funiculus* quidem *vmbilicalis*, qui ipsi embryoni coaeuus videtur, multimode ludit tam longitudine quam crassitie, tum insertionis in placentam loco, nodis varicosis &c. In vniuersum tamen ex ternis vasis sanguineis spirae modo contortus est, vena nempe quae hepar foetus petit, et binis arteriis ex iliatis internis s. hypogastricis eius oriundis; quae quidem septis cellu-

t) v. DENMAN's Engravings tending to illustrate the generation and parturition. Lond. 1787. fol. tab. IX.

Rarissime accidit vt gemelli communi quoque amnio contineantur. v. JAC. DE PUÿT in *Verhandel. der Zeenwisch Genootsch. te Vlissingen* T. IX. p. 423 19.

cellulosis variabilis directionis *u*) separantur; intus vero nodulis f. *quasfualulis* Hobokenii passim coangustantur *x*).

In funem vero colligantur haec vasa ope cellulosae, quae singulari humore limpidissimo plena, Whartoni nomen, gelatinae autem speciem prae se fert, exterius vero amnii continuatione inuoluta est.

§. 573.

Qua vero funi adhaeret foetus, ex huius vrinariae vesicae fundo (§. 486.) medius inter utramque arteriam umbilicalem in funem penetrat *vrachus y*), homini per breue saltem spatium peruius, moxque

u) GUIL. NOORTWYK *uteri hum. gravid. anat. tab. III. fig. 5. 6. 7.*

x) HOBOKEN *anat. secundinae hum. repetita p. 522 sq. fig. 38. 39. 40.*

Eiusmodi fabricam vterius in ipsis placentae ramis ornauit AUG. CHR. REUSS. cf. *Ej. nov. observ. circa structur. vasor. in placenta hum. Tübing. 1784. 4.*

y) JO. NOREEN *de vracho. Gotting. 1749. 4.*

PH. AD. BOEHMER *de eodem, ad calcem anatom. oui hum. foecund. sed deformis. Hal. 1763. 4.*

que totus euanesceus, qui autem in aliis mammalibus ad allantoidem *z*) ducit, qua humanum foetum plane destitui iam inter omnes constat. Nam et aenigmatica illa *vesicula umbilicalis* in humanis ouulis chorion inter et amnion visenda *a*), mihi quidem non tam allantoidi, quam *tunicae erythroidi* quae in nonnullorum mammalium conceptu extat, aequae ac vitellari sacco pulli incubati analogae videtur. Nimis sane frequenter, et nimis constanti ratione in ouulis humanis foecundis altero praesertim tertioque post conceptionem mense obseruata est, quam ut pro fortuita fabrica, situe morbosa, situe monstruosa eandem habere liceat.

§. 574.

Sanguifera autem quae diximus funiculi vasa in *placentam* abeunt *b*), de cuius
ortu

z) cf. FABR. AB AQUAPENDENTE *de formato foetu* tab. X. I. XIII. XIV. XVII. fig. 27. XXV.

a) v. *Commentat. soc. reg. scient. Göttingens.* vol. IX. pag. 128. fig. 1.

b) EUSTACHI tab. XIV. fig. 5. 6.

ortu ex frondosa chorii superficie, quae deciduae crassae infigitur, supra monitum est; unde et duplicis generis substantia intelligitur, ex qua contextam esse placenta constat; vterina nempe altera a decidua deriuanda et spongiosum eius parenchyma constituens; altera foetalis quae nempe ex umbilicalibus vasis in chorion distributis, proficiscitur.

Eatenus autem iniquum est ouuli telli incrementum, vt glabrae chorii parti maius et celerius sit augmentum, quam muscosae, adeoque placenta ad oui ambitum ratio eo maior quo recentior adhuc conceptus, minor e contrario quo propior partui.

Simul vero progrediente grauiditate magis magisque stricta et stipata euadit eius textura, ab extima facie qua vterum respicit fulcata et lobata, ab interiore qua foetum spectans amnio vestitur, glabra. Magnitudine autem, crassitie, figura et situ s. cohaesionis ad vterum loco multum

timode

timode varians; plerumque tamen fundo eius agglutinata; in vniuersum tam sensilitate quam genuina irritabilitate aequaliter destituta.

§. 575.

Et si autem omnes in eo consentiant, esse placentam princeps cuius ope foetus nutritur instrumentum, de genuina tamen eius agendi ratione, et mutua tam ad vterum quam ad foetum relatione, diuersimode nuperis temporibus disputatum est. Omnibus tamen rite pensatis eo res redire videtur, vt quidem nulla perpetua anastomosis vasa sanguinea vteri materni cum funiculi vasis intercedat *c*); sed qui continuo tramite ex vtero in eam placentae partem penetret matris oxygenatus sanguis *d*), quae deciduae crassae originem suam debet, exin ab extremis vaforum vmbili-

c) cf. plurimis W. HUNTER'S *anatomical description of the human gravid uterus*. (opus posthumum editum a M. BAILLIE). Lond. 1794. 4. pag 401q.

d) v. supra §. 13. not. *c*) it. §. 151.

umbilicalium radiculis, quae in chorion muscosum distribuuntur, resorbeatur et in funiculi truncum venosum ducatur: redux vero ex foetu per arterias umbilicales sanguis carbonifatus simili ratione in parenchyma placentae effusus, a venosis partis eius vterinae radiculis hauriatur et vtero reddatur.

Respondent his cautissima sed cassa tentamina de replendis per vterina vasa vasis umbilicalibus, aut v. v. iniiciendis per umbilicalem funem vterinis; respondet etiam analogia fabricae in iis quadrupedibus quorum secundinae memorabili isto corpore sic dicto glanduloso instructae sunt.

Praeterea autem probabile est, chyli quoque materni portionem simul cum purpureo fluente ad foetum deferri. Praeterea enim quod sanguis maternus non omni tempore aequè integer est, sed aliquot post partum horis recens aduenam neque adhuc subactum secum in orbem rapit chylum; non vnum quoque vtero cum chylo et lacte esse commercium infra patebit;

et

et sunt vtique numerosae obseruationes quibus lacteum succum placentae vterinae inhaesisse constitit e).

§. 576.

Progrediente vero grauiditate dum foetus et secundinae tanta incrementa capiunt, vtero quoque ipsi graues subeundas esse mutationes per se facile intelligitur. Et hae quidem praeter molis augmentum tam situm, quam figuram, maxime vero

Ff 2

ipsam

- e) Hinc quorundam auctorum opinio qui foetum magis lacteo matris chylo quam sanguine eius nutrirī autumant. cf. ABR. BRILL *obs. de humore lacteo in placenta humana*. Groning. 1768. 8.

Et reuera tenerum quoque animantium mammalium embryonem aequē bene lacte matris quam sanguine eius nutrirī posse, neutiquam vero amnii liquore eo scopo indigere, doceor iustar omnium exemplo *didelphiū*, et maxime quidem *giganteae* (*Kängurn*) quae adulta humanum corpus pondere aequat, partu autem edita, immaturi foetus vix musculi magnitudinem aequantis habitum prae se fert, postmodum vero matris abdominali sacco mamillari (tanquam vtero secundo) commissa, maturata tandem, molem 14 librarum attingit, vix interea lacte quod fugit materno, nutrita.

ipsam eius texturam attinent, vtpote quae perpetua et graui humorum congectione quam vterus grauidus experitur, tum quodad sanguinea eius vasa, tum quodad intertextum ipsis parenchyma insigniter alteratur.

Et ista quidem, quo magis increfcit vterus, eo magis quoque ex anfractuosis et angustis rectiora fiunt *f*) et magis magisque ampliora, et venae quidem grauiditate prouecta ampliffimae *g*), ita vt pro finibus passim imposuerint anatomicis.

Hoc vero sensim sensimque rarius euadit laxiusque *h*) maxime qua ouum contentum spectat, ita vt crassus quidem sit vterus grauidus praesertim in fundo, et in viua et vegeta muliere sanguine turgens ac vi vitali vigens; simul tamen mollis et habitu suo, praesertim in funere [vbi, pridem recte monente Arantio, grauiditate prouecta lamellosam quasi texturam menti-

f) v. GUL. HUNTER *anat. vteri grauidi* tab. XVI.

g) Ibid. tab. XVIII.

h) cf. B. S. ALBINI *annotat. acad.* I. II. tab. III. fig. 2.

mentitur i)]], mirum quantum a stricto et compacto ut non grauidi parenchymate abhorrens.

§. 577.

Reliquas autem vteri grauidi mutationes grauiiores cum iis quae ouo et foetui memorabiliora accidunt, iunctim ex ordine decem mensium lunarium breuissimis exhibere liceat, secundum quos hodie grauiditatis decursum satis commode computare solent.

§. 578.

Atque uti in vniuersum vterum statim ab impraegnatione sua turgere vidimus (§. 561.), ita et ab eo inde tempore mole et pondere auctior altius paulo in vaginae superiora descendit, figuram tamen pristinam tribus primis mensibus haecenus retinet, nisi quod fundus eius paulo conuexior et corporis anterior paries a postico remotior euadat, cauumque vterinum antehac angustissimum et fere triangulare nunc ab

Ff 3 humo-

i) ARANTII de humano foetu libellus p. 5 sq. ed. 1579.
cf. B. S. ALBINI tab. vteri grauidi II.

humoribus ouuli expansum subglobosae huius formae sese accommodat.

Ouulum vero ipsum quod circa finem primi mensis columbini oui magnitudine spectatur, et vtramque deciduam ab inuicem aequae ac exiguum amnion ab ampliore chorio remotum habet, tertio ad finem vergente iam fere anserini oui molem attingit, et caduca reflexa ad crassam, amnion vero ad chorion proxime accedit, illudque magna liquoris sui nominis copia plenum est, in quo tenellus et pro portione istius liquoris valde exilis embryo (vtpote qui eo termino vix iuniorem musculum magnitudine aequat,) a pressione vteri securus, et iam quidem praecipue *k*) minus firmo tamen et inconstantiore situ fluctuare videtur.

§. 579.

A quarto vero inde mense vterus ouatam magis s. subglobosam induit formam, et ceruice eius magis magisque emollita
et

k) cf. v. DOEVEREN *Specim. observat. academ.* p. 104 [q].

et sensim sensimque abbreviata et quasi deleta s. potius versus latera distenta, de-
nuo sursum vergit et ex minore pelui in
maiores ascendere incipit. Simul vero
ipsae tubae cum conuexo vteri fundo sur-
sum feruntur, extenduntur et elongantur;
adeo autem vteri lateribus arcte adhae-
rescunt, vt circa mediam tantum ipsarum
longitudinem ab illis recedant, et obiter
tantum spectatae ex vteri medio prodire
videantur, quod erroneae de ingenti fundi
vterini incremento opinioni ansam prae-
buit.

Et ab eò quoque inde tempore foetus
in talem increfcit molem, quae oui capa-
citati magis proportionalis est, tuncque
iam in firmiorem et magis fixum situm
conglobatum se componere incipit, quem
ad partus vsque terminum feruat, capite
nempe cernuo, dorsoque incuruo quod
plerumque alterutri matris lateri aliquan-
tisper obuersum iacet.

§. 580.

Media graviditate quae in quinti mensis finem incidit, vterus in eam increuit magnitudinem, vt fundus eius inter pubem et vmbilicum circ. medius positus, ipsaque graviditas iam externo abdominis habitu obseruabilis sit.

Simulque foetus ab eo inde tempore corporis sui agitatione matri distinctius sensibilis fieri solet, etsi nec de huius momenti termino statuti et determinati quid decernere liceat. Vegetior tamen nunc est et habilior, ita vt nunc ex loquendi vsu vitalis dici possit.

§. 581.

Reliquis quinque mensibus lunaribus vterus cum contento foetu vltiora incrementa capiens circa sextum mensem fundo suo vmbilicum fere attingit; ab octauo autem inde porro vltius assurgens ipsi cordis scrobiculo appropinquatur. Cervix vero eius interim magis magisque obliteratur, complanatur et attenuatur.

§. 582.

§. 582.

Decimo denique mense quasi mole sua obrutus vterus (utpote cuius longitudinalis axis tunc ad 11 vncias, transuersus vero ad 9 et ultra ascendere solet) denuo subsidere incipit.

Vtraque membrana caduca maxime vero reflexa, quae chorio adhaeret, a pluribus iam retro mensibus magis magisque attenuata nunc reticulatam quasi speciem prae se fert fibris breuibus albidis distinctam 1).

Placentae tunc temporis ea moles, ut maior eius diameter 9 vncias aequet, crassities vnciam vnā; pondus vero vnus circ. librae et quod excurrit.

Funiculi vmbilicalis longitudo plerumque 18 vnciarum et ultra.

Ff 5

Maturi

1) cf. de vario habitu quem decidua altero grauiditatis dimidio prae se fert GUL. HUNTER *anat. vteri grauidi* tab. XXIV. fig. 3. 4. tab. XXIX. fig. 4. 5. collata tab. XXIX. fig. 2.

Maturi et habiliores foetus pondus librarum fere septem; longitudo 20 praeter propter vnciarum *m*).

Amnii denique liquoris adeo quidem variabilis quantitas, ut nihil plane definiti circa eam statuere liceat, plerumque tamen ubi vegetus fuerit foetus vix ad libram vnam ascendens.

m) Insigne quidem pro portione matris pondus et volumen, si cum multorum aliorum animantium mammalium partu compares. Tantum tamen adest ut mulier inter omnia mammalia maximum eo respectu foetum edat, cum in eo a quibusdam, maxime ex bradypodum ordine, quorum inaturos foetus dum haec scribo ad manus habeo, longe superetur.